

Vk
1773

AD
SOLEMNEM ORATIONEM
IN
MEMORIAM
GODOFREDI
HOFFMANNI,

DOCTORIS OLIM ET MODERATORIS DE GYMNASIO
ZITTAVIENSI IMMORTALITER PROMERITI

FUTURO DIE MERCURII
d. XXV. OCTOBR. MDCCLXIX.

HOR. VIII.

PUBLICAE AB SE HABENDAM
INVITAT

SIMULQUE

DE
VRATISLAVO II. DUCE ET DEINDE REGE
BOHEMICO, MARCHIONE AUTEM
INSIMUL IN LUSATIA SUPERIORI HÆ-
REDITARIO, UT CREDITUR PRIMO

EXPONIT
ADAM DANIEL RICHTERUS,
Gymnas. Direct.



ZITTAVIÆ, LITTERIS KÜHNII, 1769.



Vratislao II. qui ao. 1061. Dux factus est *Bobemorum*, cuius regnum, ut satis omnes noverint, provincia hucusque Imperii Germanici fuerat, sine dubio, quantum ego quidem in tanto intervallo temporum conjicio, quam animo miti et placidus esset, verecundia fuit, pro injusta causa bellum continuare cum *Imperatore*, ne etiam, si vicisset, magis fortuna, quae vaga hucusque in bello *Bobemorum* cum *Imperatore* diuque volubilis fuerat, quam iusta causa fuisse videretur. Sic enim *Bobemorum* Princeps *Boleslaus* rebellabat *Imperatori Ottoni I.* vid. *Regino in Pistor. Nidon. Script.* p. 77. *Otto Frisinus ad A.* 936. et jam ao. 959. *Imperator* iterum invadebat *Slavos*, quos *Bobemos* fuisse pato, vid. *ibid.* p. 80. Anno autem 977. ita *Imperator Bobem.* s. infestabat contumaciter omnia agentes, ut tandem multam Bohemiam incendio cremare ausus sit, vid. *Lambert. ibid.* p. 157. Venit quidem *Boleslaus*, Dux *Bobemiae* ao. 978. ad *Imperatorem*, vid. *ibid.* sed quum non manerint Bohemi in officio, bellum deinde denuo coortum et per quinquaginta sex annos saepius renovatum annoque demum 1043 sepultum est. Sic enim ao. 987. *Imperator Bohemiam* rursus subegit, vid. *ibid.* Ao. 1003. *Imperator Henricus II. Boleslaum Bohemiae* Ducem cum omni *Slavorum* gente subjugavit, vid. *ibid.* 226. et *Hermannus Contractus* dicit, idem etiam ao. 1004. factum esse, vid. *ibid.* p. 135. Ao. 1040. *Imperator Henricus III.* pariter quidem in *Bohemia* exercitum duxit, vid. *Lambert. ibid.* p. 159. sed ista quidem fortuna tunc Ducem *Bobemiae* petiit, ut multis proceribus et militibus in praefractione sylvarum citra & ultra occisis, nihil dignum efficeret, quum praesertim *Petrus Hungarorum* rex contra *Imperatorem* auxilia mittere ausus esset, vid. *Hermann. Contr. ibid.* p. 137. Sed *Imperator* bellum id ao. 1041. quasi regustans, vid. *ibid.* *Bobemiam* cum exercitu ingressus ita igne praedaeque cuncta devastavit, ut rebellem Ducem ob fides dare, *Imperatorem* ipsum *Katisbonam* insequi adque deditionem humiliter venire et iurejurando fidelitatem servitiumque confirmare cogeret, vid. *Herman. Contr. ibid.* p. 137. Sic Dux *Bobemiae* etiam ao. 1043. venit ad *Imperatorem*, vid. *Lamb. ibid.* p. 159. Et quum deinde moles discordiarum exorta esset inter *Bobemos* et *Polonos*, cruentis Ducibus *Polonorum* et *Bobemorum* istas tandem *Imperator* interdixit *Miscenam* vocatis vehementissime et summa auctoritate regia, ne se amplius temerariis incurfionibus vicissim lacerarent, vid. *Lamb. ibid.* p. 186.

Sed *Vratislaus* noster II, de quo nunc nobis sermo est, longe alio animo erat, placidus Princeps, memor fidei, qua *Imperatori* et Imperio Germanico Dux *Bobemiae* ab antiquo obligatus fuit, ita ut *Imperatori*, *Henrico tunc IV.* sincerissime semper adhaerit. Conjuraverant nempe Principes *Saxonum* contra *Henricum Imperatorem* ao. 1072. vid. *Lamb. ibid.* p. 253. et jam anno 1073. *Udo* Marchio, et *Dedi* Marchio, *Egbertus junior Thuringorum*, puer adhuc infra militares annos, *Fridericus* Palatinus Comes, *Diedericus* Comes, *Otto* Comes, *Tidericus* Comes, *Conradus* Comes et *Henricus* Comes erant infimul in ista conjuratione tunc coorta contra *Imperatorem*, qui *Thuringos* et *Saxones* in servitutum adigere voluerat, *Luiticos*que in *Inferiori* scilicet *Lusatia* auxiliares habebat, adversus quos quidem hoc eodem anno *Saxones* die ac nocte in procinctu atque acie sterisse idem *Lambertus* commemorat, *ibid.* 193. *Imperator* igitur *Henricus IV.* jam ao. 1074. falso enim anno 1047. id factum esse legitur in *Brunonis Historia de bello Saxonico* apud *Freberum*, *Vratislao* nostro *Misnam* civitatem cum omnibus ad eam pertinentibus promiserat, ut sic eum, ut suis partibus adiutor esset, adiceret. Et cum *Imperator* ao. 1075. *Marchiam Misnensem*, venit enim ao. 1075. *Imperator* cum exercitu ad *Misnam*, villas incendit, pauloque ulterius progressus pterosque ingenuos homines in deditionem accepit, vid. *Lamb. ibid.* pag. 225. *Echberto* iuniori, quia hic *Echbertus* jam ao. 1073. fuerat inter conjuratos adversus *Imperatorem*, ademisset, *Dedo* autem, *Marchio* scilicet in *Miszavia*, quae iam *Lusatia Superior* est, longa aegritudine absumtus ao. 1075. decessisset, *Imperator* non solum *Marchiam Misnensem*, sed *Marchiam etiam*

Milzaviam Henrico, Sleburgensi sine dubio, ob patris rebellionem, licet quidem uxor Dedonis, Marchionis, Adela scilicet filium suum, Henricum puta Sleburgensem, cui hereditaria successione Marchia sane Milzavia debebatur, Imperatori paulo ante pro se obsidem misisset, et ipse Marchio Dedo post recuperatam pacem in Gerstingen intemetaram semper fidem erga Imperatorem et Republicam servasset, unde etiam forsitan factum est, ut hic Henricus Ledonis Filius Marchiam saltem Orientalem, quam pater ejus pariter administraverat, hodie Lusatiam Inferiorem acquisiverit, siquidem ao. 1085, quum nondum Marchio in Misnia esset, Marchionis tamen nomine insignitus legitur, vid. Chron. Gossec. p. 218. sub idem tempus nempe ao. 1075. denegatam ac ademptam in praemium nimirum jam exactae militiae et fidei praestitae Vratislao nostro II. tradidit. Vid. Lamb. ibid. p. 225. Vratislaus enim ao. 1075. Imperatori Henrico IV. auxiliator fuerat. Vid. Chronograph. Sax. p. 261. ad annum 1075. Adfuerunt nimirum Bohemi ao. 1075. VI. Id. tun. Henrico IV. ad Unstrutum cum Saxonibus contingenti, vid. Bruno in Hist. Bell. Saxon. ibid. p. 112. seqq. Venit igitur Imperator denuo ao. 1076. infesto agmine in Marchiam Misnensem ad persequendos Gerones, Comitiscujusdam filios, qui sine dubio Egberto Marchioni Misnensi ab auxilio fuerant. Vid. Lamb. loc. cit. p. 240. 241. Egbertus autem Marchio, cujus eadem omnino Misnensis Marchia erat, filius Patruelis Regis, puer, uti jam dictus est, longe adhuc infra militares annos, ubi primum decretescentibus aquis fluvius, Albiu[m] puta, factus est transiuebilis, adjunctis sibi Saxonibus non solum Misnensem perrexit, omniaque castella, quibus Dux Bohemicus praedidum impoluerat, admodum militum manu recepit, sed suos etiam milites, qui deinceps contra omnem hostium irruptionem indefesse excubarent, impoluit, Marchiamque Misnensiam sibi hereditate debitam recuperavit et Bohemos exturbavit, vid. Lamb. loc. cit. p. 241. 778. ita ut Vratislaus II. hanc Marchiam Misnensem, ipsi primum ao. 1073. promissam et deinde ao. 1075. ab Imperatore traditam, rursus demum ao. 1076. non autem statim ao. 1075. ad Cofin. Lib. II. ap. Menck. Tom. I. p. 26. omnino perderet. Licet autem Vratislaus noster II. Misnensi Marchionatu exturbatus esset, nihilominus tamen Imperatori temper fidelis permansit, Misnenses autem data occasione infesto temper animo persequi nunquam desistit. Sic enim ao. 1077. Vratislaus hic II. Dux Bohemiae, regnum Teutonicum tertio tunc igne et ferro populabundus peragravit, vid. Lamb. ad ao. 1077. Rursus deinde ao. 1079. magis eluxit virtus Bohemorum in tertio illo bello Saxónico, de quo Conradus Urspergensis pag. 172. dicit: Iterum bellum fit inter Henricum et Rudolphum - - ibi Dux Bohemiae Vratislaus regalem lanceam Rudolphi adeptus est, quae exinde permissione Regis Henrici, puta Imperatorem Henricum IV. temper quemvis illius gentis Ducatu insignem in omni festiva processione praecedebat. In hoc eodem bello Imperator cum Rudolpho, quum Vratislaus noster Saxones invadere secum coniituisset, iter fecit in Misniam et a Wortsin usque Libitz, subita eruptione facta, cuncta depopulatus est. Vid. Vita Viperti, Cap. V. § 2. 3. 4. 5. Quum ao. 1084. Vratislaus noster filiam suam Judith nuptum Viperto, Comiti de Groytsch, eique dotis loco Budisfin cum pago Nisfin, Marchia tamen, Milzavia nempe, cum reliqua terra ejus sibi reservata, dedit, vid. Monach. Pirrensis in Vita Viperti, C. IV. § 28. ego sane nondum video, quum Marchiones olim indiarie quidem sua sibi appropriata ac libere donata cum omni proprietate jure in Marchia, non autem Marchias ipsas in sua proprietate haberent, quomodo Vratislaus contra naturam, conditionem statumque feudi dari, cuius jura concessa quis alteri concedere potest nulla, hanc dotem dare aut designare saltem potuerit, tanquam Marchia ejus esset immediatum Dominium; nisi convenientia Imperatoris illud factum, Vratislausve primus Marchio hereditarius factus sit. Quod autem jam in hoc nostro Vratislao Dominium terrae et Marchionatus tanquam peculiaris doni in feudum concessi coaluerit, quodque Marchiones in Milzavia ab isto tempore in simul domini terrae directi existerint, Regesque Bohemiae jus feudi obtinuerint, qui demum factum sit, ego

100 11173 TA x 3379796

pariter non video. Ad meam enim conjecturam probatio profecto non absimilis enascitur, Imperatorem sicuti ab initio sic diu etiam post Dominum directum *Lusatiae Superioris* fuisse, quum satis notum sit, quod *Ludovicus Imperator, Woldemaro, Brandenburgico*, sine haerede defuncto, ipsi Regi *Bohemiae Lusatiam nostram Superiorem* in feudum et jus feudi assignaverit. *Vid. Lutig. T. IV. n. 5.*

Reliquum *Vratislaus* noster ista indulgentia Imperatoris *Henrici IV.* usus est, ut in Comitibus *Moguntinis* ao. 1086. dignitatem Regis, adjecto insimul *Poloniae* regno, ab Imperatore acciperet & solenniter Rex *Bohemiae* creatus sit. *Vid. Cosm. L. II. ap. Menck. Tom I. p. 2057 et Monach. Pirnen. in vita Viperii, C. II. III.* Quum igitur *Vratislaus* nunc Rex, a possessione *Marchiae Misnicae* per *Echertum* ao. 1076. inde dejectus, jure suo prorsus cedere noluisse, ao. furtus 1087. collecto exercitu intravit *Zirbiam*, quae nunc *Misnia* est, & quam olim ao. 1075. *Imperator Henricus IV.* in perpetuum ipsi habendam tradiderat, sicque sibi denuo istam terram vindicare conatus est. De qua expeditione bellica *Vratislai* amplius dicit *Cosma. l. c. p. 2060. seqq.* quod *Saxonum* quidem legio fortiter pugnavit, sed tamen magna strage ex utraque parte, VI. Non. Jul. *Bohemii* autem in isto bello habuerunt victoriam, modo nimis cruentam. Rediit autem *Vratislaus* anno insequenti 1088. in *Zirbiam, Misniam* putata, ut castrum suum, prope urbem *Missen* ao. 1087. reaedificatum, in alium firmiter locum transferret referente eodem *Cosma. ibid. p. 2063.* Id quod castrum *Bobensium*, cui nomen inditum erat *Grwozedeck*, sine dubio aedificatum fuit eo in loco, in quo iam sic dictum *Altenburgum* juxta urbem *Misniam* in alto monte ad flumen *Triebisch* nunc situm est. Et quum ao. 1089. *Egbertus* Marchio *Doringiae, Dedi* Marchio, *Friedericus* Comes *Palatinus, Theodoricus* Comes, etc. *Goslariae* congregati contra Imperatorem expeditionem pararent, *vid. Append. Chron. Mariani. f. ap. Pistor. p. 776.* Imperator autem *Henricus*, mem. or. injuriarum, quam *Egbertus* anno praeterito apud *Mersburg* fecerat, *Marchionatum Orientalem* ei auferens *Henrico* cuidam, puta *Dedonis*, *Marchionis in Lusatia & Mitzavia*, nec non *Adelheidis*, quae hoc eodem anno 1099. prima *Abbatissa* facta est in *Monasterio Oldesheim* a se fundata, *vid. Append. ad Chron. Marian. S. ap. Pistor. p. 775.* filium, conferret, *vid. Append. Chron. Mont. Ser. ibid. p. 747.* sicque bellum nunc comitteretur & quidem in *Thuringia* juxta *Glichim*, oppidum et castellum *Marchionis Egberti* firmissimum, quod Imperator tunc obedit, *Echertus* vero se defendit, *vid. Append. Chron. Marian. S. ap. Pistor. p. 779.* bellum, inquam, inter *Henricum Imperatorem & Eckiberium*, *Marchionem Misniae* scilicet, *vid. Lamb. l. c. p. 253.* *Vratislaus* tunc pariter rursus in *Zirbiam, Misniam* putata, profectus est. *Vid. Cosm. l. c. p. 212. 213.* Sic intravit etiam *Vratislaus* rursus ao. 1091. ad hanc reformandam & restaurandam *Syrbiam*, provinciam sibi olim ab Imperatore *Henrico IV.* in perpetuum ut possideret donatam, ubi filius *Vratislai*, quum diutius moratus esset in aqua fluida, ab hostibus ex improbitate, *Saxones* puta, tentatus & in manu dextera vulneratus est. *Vid. Chron. Bohemicae. ap. Menck. T. III. pag. 1675.* In hoc eodem *Chronico* ibid. p. 1680. *Vratislaus* noster II. ao. 1092. *Calend. Febr.* mortuus esse dicitur, quum tamen certissimum novimus ex *vita Viperti, ap. Hoffm. T. I. p. 17.* quod *Vratislaus* huic genero suo *Viperto* ad supplementum inchoati *Pegaviae* *Monasterii* iterum ao. 1093. adhuc alia trecenta talenta transfussit, & quod *Vratislaus* demum hoc eodem anno 1093. ex equo lapsus subitanea morte obiit, die forsitan *XIX. Calend. Febr.* quem quidem diem emortualem praeter annum hunc 1093. *Cosma l. c. p. 2071.* habet convenientem cum *Pegaviensi* *Calendario*. Tantum.

Accedo nunc ad *Godofredum Hoffmannum*, Doctorem olim & Moderatorem *Gymnasiae Zittaviensis*, cujus memoriam crastina luce brevi quidem *Oratione de Primatu & Principatu Papae* renovandam nunc significo.

Rogo autem modeste & oro, ut *Magnificus & Amplissimus Senatus, Venerabiles* rerum sacrarum *Sacerdotes & Antistites*, nec non omnes *Litterati* huic *Orationi* interesse velint. P.P. Dom. XXII. Trinitat. MDCCCLXIX.

7. 36. 30. 15.

Vk
1773

AD
 SOLEMNEM ORATIONEM
 IN
 MEMORIAM
 GODOFREDI
 HOFFMANNI,

DOCTORIS OLIM ET MODERATORIS DE GYMNASIO
 ZITTAVIENSI IMMORTALITER PROMERITI

*FUTURO DIE MERCURII
 d. XXV. OCTOBR. MDCCLXIX.*

HOR. VIII.

PUBLICAE AB SE HABENDAM
 INVITAT
 SIMULQUE

DE
 VRATISLAVO II. DUCE ET DEINDE REGE
 BOHEMICO, MARCHIONE AUTEM
 INSIMUL IN LUSATIA SUPERIORI HÆ-
 REDITARIO, UT CREDITUR PRIMO

EXPONIT
 ADAM DANIEL RICHTERUS,
 Gymnas. Direct.



ZITTAVIÆ, LITTERIS KÜHNII, 1769.

